Salzburg/Domstift, 2. Viertel 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cui est gloria in secula seculorum amen. S.
In illo tempore: Surgens ihs mane pri matutina sabbati: apparuit primo marie magdalene de qua eiecerat septem demonia. Illa uadens nunciauit his: qui cum eo erant lugentibus et flentibus. Et illi audientes quia uiueret et uisus est ab ea: non crediderunt. Post hec autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie: euntibus in uillam. Et illi euntes nunciauerunt ceteris. Feria vi. Ad thymotheum.
Karissime: Diuitibus huius seculi precipe non sublime sapere: neque sperare in incerto diuitiarum sed in domino qui prestat nobis omnia ad fruendum: bene agere. diuites fieri in omnibus bonis operibus. facile tribuere. comunicare. thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendat ueram uitam. O thymothee depositum custodi: deuitans profanas uocum nouitates et oppositiones falsi nominis scientie. Quam quidam promittentes: circa fidem exciderunt. Gratia domini tecum amen. S. matheum.
In illo tempore: Exierunt mulieres cito de monumento cum timore et gaudio magno: currentes nunciare discipulis ihu. Et ecce ihs occurrit illis dicens. Auete. Illi autem accesserunt et tenuerunt pedes eius: et adorauerunt